



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ecclesiæ Avtoritate, & de ueterum scriptis Libellus**

**Melanchthon, Philipp**

**Vitebergae, 1550**

**VD16 M 3084**

De Gregorio Nazianzeno.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35753**

## DE ECCLESIA.

Ceterum, q, Basilius primum instituit coetus Monachorum, id exemplum nocuit, & alii quid habuit uitij, etiamsi ipse primum non habuit crassas superstitiones, & illi coetus adhuc quaedam imago erant scholarum. Circumferuntur & libri quidam eius nomine, qui continent Regulas Monachorum, quorum aliqui haud dubie sunt suppositicij, & longo tempore post Basilium nati. Sunt enim pleni falsarum opinionum de coelibatu, & alijs cultibus excogitatis sine mandato Dei, & continent ridiculas nugas, ut magnum aceruum poenarum seu satisfactionum, quas uocat *ἔρωτισμα*, si riserit puella in choro, sedeat biduo in uestibulo, & similes nenas, quas si quis uellet renouare ad imitationem antiquitatis, uerè insaniret.

### De Gregorio Nazianzeno.

Nazianzenus tractauit articulum de Trinitate, Alia dogmata leuiter attingit. Scripsit uitam Cypriani, in qua narrat, quandam puellam amatam esse à Cypriano ante conuersionem, quae inuocans Mariam uirginem, uicerit magicas incantationes Cypriani.

Hoc

PHILIP. MELANTH.

Hoc exemplum citatur de inuocatione Sanctorum. Etsi autem uidetur esse ficta fabella, & postea sparsa titulo Nazianzeni, tamen etiam si uera esset historia, non est citanda ad confirmandam inuocationem Sanctorum, Nam errores piorum non sunt opponendi uerbo Dei, & omnibus etatibus etiam pij in Ecclesia habent suas infirmitates.

Allegant etiam ex Basilio & Nazianzeno, q̄ in fine concionum de Sanctis, solent eos compellare: O Athanasi ora pro nobis. Etsi autem hæ Apostrophæ ex Rhetoricis figuris excusari possunt, tamen fieri potest, ut more sui temporis tunc inuocauerint Sanctos, Nam inuocatio Sanctorum paulatim tunc in Ecclesia irrepserit, Et errores temporum trahunt homines, ut usitata minus improbant, & boni consulant, Sicut impetus fluminum secum rapit nauigantes, Nec tamen ideo approbanda est inuocatio Sanctorum. Ac postquam mos creuit, & iam reiecta est impietas, prorsus ex Ecclesia tolli debet. Nec Basilius de inuocatione quicquam dicit, tantum ait celebrari memoriam

memoriam